

- 710 Forte suem latebrīs vestīgia certa secūtī
excīvēre canēs, silvīsque exīre parantem
fīxerat oblīquō iuvenis Cinyrēius ictū:
prōtinus excussit pandō vēnābula rostrō
sanguine tīncta suō trepidumque et tūta petentem
- 715 trux aper īnsequitur tōtōsque sub inguine
abdidit et fulvā moribundum strāvīt harēnā.
Vecta levī currū mediās Cytherēa per aurās
Cyprōn olorīnīs nōndum pervēnerat ālīs:
agnōvit longē gemitum morientis et albās
- 720 flexit avēs illūc, utque aethere vīdit ab altō
exanimem inque suō iactantem sanguine corpus,
dēsiliuit pariterque sinum pariterque capillōs
rūpit et indīgnīs percussit pectora palmīs
questaque cum fātīs ‘At nōn tamen omnia vestrī
- 725 iūris erunt’ dīxit. ‘Lūctūs monimenta manēbunt
semper, Adōni meī, repetītaque mortis imāgō
annua plangōris peraget simulāmina nostrī;
at cruor in flōrem mūtābitur an tibi quondam
fēmineōs artūs in olentēs vertere mentās,
- 730 Persephonē, licuit: nōbīs Cinyrēius hērōs
invidiae mūtātus erit?’ Sīc fāta cruōrem
nectare odōrātō sparsit, quī tīnctus ab illō
intumuit sīc, ut fulvō perlūcida caenō
surgere bulla solet, nec plēnā longior hōrā
- 735 facta mora est, cum flōs dē sanguine concolor ortus,
quālem, quae lentō cēlant sub cortice grānum,
pūnica ferre solent; brevis est tamen ūsus in illō;
namque male haerentem et nimiā levitāte cadūcum
excutiunt īdem, quī praestant nōmīna, ventī.